

Bijlage VWO

2011

tijdvak 1

Latijn

tevens oud programma

Latijn

Tekstboekje

Tekst 1

Aeneas en de Sibylle komen aan bij de Styx

384 Ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.
385 Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
386 per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,
387 sic prior adgreditur dictis atque increpat ultro:
388 'Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
389 fare age, quid venias, iam istinc et comprime gressum.
390 Umbrarum hic locus est, somni noctisque soporae:
391 corpora viva nefas Stygia vectare carina.
392 Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
393 accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
394 dis quamquam geniti atque invicti viribus essent.
395 Tartareum ille manu custodem in vincla petivit
396 ipsius a solio regis traxitque trementem;
397 hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.'
398 Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
399 'Nullae hic insidiae tales (absiste moveri),
400 nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
401 aeternum latrans exsanguis terreat umbras,
402 casta licet patruum servet Proserpina limen.
403 Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
404 ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
405 Si te nulla movet tantae pietatis imago
406 at ramum hunc' (aperit ramum qui veste latebat)
407 'agnoscas.' Tumida ex ira tum corda residunt;
408 nec plura his. Ille admirans venerabile donum
409 fatalis virgae longo post tempore visum
410 caeruleam advertit puppim ripaeque propinquat.
411 Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
412 deturbat laxatque foros; simul accipit alveo
413 ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cumba
414 subtilis et multam accepit rimosa paludem.
415 Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
416 infirmi limo glaucaque exponit in ulva.

417 Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
418 personat adverso recubans immanis in antro.
419 Cui vates horrere videns iam colla colubris
420 melle soporatum et medicatis frugibus offam
421 obicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
422 corripit obiectam, atque immania terga resolvit
423 fusus humi totoque ingens extenditur antro.
424 Occupat Aeneas aditum custode sepulto
425 evaditque celer ripam inremeabilis undae.

Vergilius, Aeneis VI 384-425

Tekst 2

Gesprek tussen Aeneas en Anchises

719 'O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est
720 sublimes animas iterumque ad tarda reverti
721 corpora? Quae lucis miseris tam dira cupido?'
722 'Dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo'
723 suscipit Anchises atque ordine singula pandit.
724 'Principio caelum ac terras camposque liquentes
725 lucentemque globum lunae Titaniaque astra
726 spiritus intus alit, totamque infusa per artus
727 mens agitat molem et magno se corpore miscet.
728 Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
729 et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
730 Igneus est ollis vigor et caelestis origo
731 seminibus, quantum non noxia corpora tardant
732 terrenique hebetant artus moribundaque membra.
733 Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
734 dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.
735 Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
736 non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
737 corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
738 multa diu concreta modis inolescere miris.
739 Ergo exercentur poenis veterumque malorum
740 supplicia expendunt: aliae panduntur inanes

741 suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto
742 infectum eluitur scelus aut exuritur igni:
743 quisque suos patimur manes. Exinde per amplum
744 mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus,
745 donec longa dies perfecto temporis orbe
746 concretam exemit labem, purumque relinquit
747 aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.
748 Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
749 Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,
750 scilicet immemores supera ut convexa revisant
751 rursus, et incipiant in corpora velle reverti.'
752 Dixerat Anchises natumque unaque Sibyllam
753 conventus trahit in medios turbamque sonantem,
754 et tumulum capit unde omnes longo ordine posset
755 adversos legere et venientum discere vultus.

Vergilius, Aeneis VI 719-755



Tekst 3

In Carthago is een liefdesrelatie ontstaan tussen koningin Dido en Aeneas. Aeneas lijkt zijn bestemming Italië te zijn vergeten. Daarom stuurt Iuppiter de god Mercurius naar Carthago om Aeneas aan te sporen uit Carthago te vertrekken.

Onderstaande passage begint op het moment dat Mercurius bij Aeneas is aangekomen.

265 Continuo invadit: 'Tu nunc Karthaginis altae
266 fundamenta locas pulchramque uxorius urbem
267 exstruis? Heu, regni rerumque oblite tuarum!
268 Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
269 regnator, caelum et terras qui numine torquet;
270 ipse haec ferre iubet celeres mandata per auras:
271 Quid struis? Aut qua spe Libycis teris otia terris?
272 Si te nulla movet tantarum gloria rerum
273 nec super ipse tua moliris laude laborem,
274 Ascanium surgentem et spes heredis Iuli
275 respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus
276 debetur.' Tali Cyllenius ore locutus
277 mortales visus medio sermone reliquit
278 et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
279 At vero Aeneas aspectu obmutuit amens,
280 arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.

Vergilius, Aeneis IV 265-280

Aantekeningen

regel 265 **continuo** meteen
 invadit *onderwerp: Mercurius*
 invado tekeer gaan
regel 266 **uxorius** als slaaf van je vrouw
regel 267 **oblite** + *gen.* jij die vergeten bent
regel 268 **deum** = **deorum** *Verbind met regnator (regel 269)*
regel 269 **caelum** *t/m* **torquet** *Lees: qui caelum et terras numine*
 torquet
regel 271 **struo** van plan zijn
 tero otia tijd verspillen
regel 272 **nulla** = **non**
regel 273 **super** + *abl.* ten behoeve van
 molior willen verrichten

regel 274 **surgo** opgroeien
 heres Iulus erfgenaam Iulus
 Iulus = Ascanius

regel 276 **debeor** toekomen
 Tali ore op zo'n manier
 Cyllenius *andere benaming voor Mercurius*

regel 277 **visus, -us** blik
 medio sermone midden onder het spreken

regel 279 **At vero = At**

regel 280 **arrectae** *Vul aan: sunt*
 arrectus *participium perfectum passief (p.p.p.) van arrigo*